2350

H.R.
HEIKKI REENPÄÄN
KIRJASTO
D. LUND - E. CAJANUS
LINGUARUM HEBRAEAE
ET GRAECAE
ADDAE 1697
Prov:
Pipping: 331
V: 2358 [35]
Ost: AC.05

Upsala U.

Q. F. F. Q. F. S. N.

LINGVARUM EBRÆÆ ET FINNICÆ CONVENIENTIA,

Approbante Ampliſſ: Fac. Philos. Aboënſi,

&

Moderante

Viro Adm. Reverendo & Præcellentiſſimo,

Dn. M. DAVID Lund/

L.L. Orientalium hactenus, jam verò Deſignato S.S. Theol. Prof. Ord.

DISSERTATIONE GRADUALI

propoſita

& examini publico modeſtè ſubmiſſa

ab

ERICO CAJANO, Eric. Fil. Oſt-Bothn.

In Audit. Maximo ad d. 13. Novembris,

A. M. DC. XCVII.

Åbo Impr. apud *JO. WALLIUM.*

KANSALLIS-
KIRJASTO

Admod. Reverendis, Ampliss: Clarissimisqve.

Dn. JOHANNI CAJANO, Pastori in Paldamo & Præposito Cajaniæ inclyto & emerito.

Dn. JOHANNI TUDERO, Pastori & Præposito in Kemi meritissimo.

Dn. HENRICO CURNOVIO, Dynastiæ in Bothnia Orientali Camerario adcuratissimo.

Dn. M. LAURENTIO LITHOVIO, Pastori in Limingo Fidelissimo.

Dn. M. PETRO PORTINO, Pastori in Pyhäjoki dignissimo.

Dn. M. LAURENTIO FORBUS, Pastori in Siikajoki vigilantissimo.

Dn. JOHANNI E. CAJANO, Sacellano Uloensi præstantissimo.

Patronis propensissimis, fautoribus optimis, ideoque colendissimis.

SALUTEM & ANNOS.

Ad vos, Patroni, hic mei ingenii tendit fœtus, qvem non proprius habitus, ſed exhibentis animus commendabit. Talis qvippe ille eſt, ut licet ob muneris, qvod offert, exilitatem reprehendendum ſe fateatur, ob promtitudinem tamen, qvâ in VESTRI venerationem pronus eſt, ſaltem non vituperandum & ipſe cenſet.

Præcipue tuas, Præpoſite Cajan: graviſſime, laudes cum non Bothnico incluſas circulo, etiam hiſce in oris perſonare, multosqve & magnos Viros Tui vel admiratione vel veneratione detineri videam, non poſſum qvin, ſi laudes deprædicare non valeam, venerationis ta-

tamen aliqvod dare annitar documentum: Ingratitudinis videlicet notam inuri existimans, si scripto hoc publico, ego stipitis Cajanorum ramusculus, publicè non intimarem, qvam venerandum CAJANORUM existas caput, qvamqve splendida ipsorum gloria. Sane si nulla unqvam familia de Claro ex se orte viro sibi gratulari potuit, Cajani id jure possunt maximo.

Vobis qvoqve Patroni Cœteri, qvia magnoperè me vidi adstrictum, tacitâ vos ulterius suspicere veneratione neqvivi, pietas qvippe, qvæ in vos est eximia hac omninò occasione ad hoc observantiæ indicium erupit edendum. Placidè ergo & benigne finnicas hasce adspicite lucubrationes, & ceu certum de-

devotionis pignus suscipite, non tam molem opellæ, qvam jucunditatem materiæ respicientes. Qvod ubi comperero, habebo, de qvo non parum gaudeam. Vos interim servet DEUS ut vivatis diutissimè, felicissimè

N. N. V. V. C. C.

cultor observantiss.

E. C.

LECTOR CANDIDE,

IN admirationem te rapi, non eſt dubium, cum cogitationes haſce meas ſuper convenientiâ Linguarum Ebrææ ac Finnicæ luci datas conſpicaris. Equidem miror & ipſe, aliquid quod hac in re tentare auſus ſim. Et hæc mea quidem admiratio facilè in tremorem verteretur, niſi ſcirem quemvis Lectorem Candidum eò lubentius his paucis contentum eſſe, quò certius nullum, cujus veſtigiis inſiſtere licuerit, mihi adeſſe novit. Quod verò brevi hac diſſertatione finnica hæc meletemata elegerim exponenda, hæc eſt cauſa, ut ſcilicet alios, quibus occaſio commodior, ingeniique vires ſunt acutiores, ad ruſpanda ea excitarem, quæ faciunt ad illuſtrationem rerum finnicarum, utpote alto, proh dolor, hactenus transmiſ-

aſ-

sarum silentio. Neque enim vel eâ in re collocatæ industriæ quemquam pœnitebit, cum certum sit, cordatum quemlibet, labores ejusmodi avidè exspectaturum, animoque gratulabundo excepturum. Cæteroquin majorem fortioremque argumentorum esse phalangem, quibus harum convenientia LL. probari potest, quam quorum agmen hæ ducunt pagellæ, benignè sentiens quisque ac censens Lector haud ægre sibi persvadebit, si modò perpenderit, cum multum temporis acutaque instrumenta requirantur ad effringendam glaciem ante non fractam, omnia non potuisse uno negotio vel conquiri vel produci. Sed nec ingratam Tibi L. B. rebar fore Etymologiam nominis finnici, Expendet ergo eam hoc

MEMBRUM PRIUS.

In originem nominis, qvò Septentrionis hunc angulum incolentes insigniuntur, inqvisituro, hoc primum menti obversabitur,

Utrum sc. Finnones vel Fennones s. Fenni, dicendi sint, ob parvam enim illam diversitatem, diversa videtur eruenda originatio. Proinde cum utrumqve vocabulum usitatum, etiam-

etiamsi non æquè conveniens sit, utriusqve haud tædet exposuisse rationem. Et qvoni m Lingva Finnica, Ebræa, ut inferius dicetur, valde videtur cognata; ideo originem vocis *Finno* à radice aliqva Ebræâ repetere non conveniens erit minus, qvam jucundum. Occurrit a. inibi à rad. פנה *vox* פִּנָּה, Lexicographis notantibus *angulum* designans. Qvæ significatio qvin conveniat congruatqve dubium non est, locus qvippe hic in septentrione situs, Anguli refert figuram, prout mappas Geographicas inspicienti apparet. Qvantumvis autem insignis hæc est derivatio, dantur tamen & aliæ eximiæ atqve concinnæ, utpotei qvæ Svecicis vindicantur initiis. Præterqvam enim qvod ea non absurda est, qvæ ad vocem finna *invenire* reducitur, videlicet qvandoqvidem inventus est locus non inelegans, etiam illa veritati se præstat congruam, qvæ Finland dicit, tanqvam Fiendeland/ ingentes cum fuisse inimicitias Finnones inter atqve Svecos constet. Nec à vero abludit, qvod qvidam hanc regionem Finland dictam volunt, cum pratis campisqve planis multis in locis superbiat, paucis vero montibus conspicua sit.

Bre-

Brevitas, cui ſtudendum, ſimplex hoc ſuper derivatione vocis *finn:* extorſit meletema. Unde verò ſuam trahat originem *Fennus*, jam diſpiciendum. Hac qvidem operâ ſuperſedere potuiſſem, ſiqvidem, ceu ſupra dictum, vocabulum id *Fenni* non tam eſt rectum qvam ſvetum, veroqve ſemper habitum ſimilius, ut non *fenno* ſed *finno* ſcriberetur; interim ut pateat, qvare nonnulli *Fennos* & ſcripſerint & dixerint, lubet pauciſſimis hujus rei enucleationi inhærere. Factum a. id ad ſententiam atqve opinionem Magni Wexionii, qvi Taciti hac in re eſt imitator. Putat is, à fluvio Tanai, Wana Elf/ cui adjacentes Wanaheim Gothice appellati ſunt, Vandalos ſ. Vendos Wänner dictos: Hincqve cum Finnones loca trans Tanaim peragraſſe putentur, ab eadem voce Wänner eos nomen *Fennorum* ſortitos eſſe. Ulterius illuſtrat hanc ſententiam eo, qvod Carelii ſe invicem adhuc Wenno ſalutant, qvodqve Moſchovia, qvam olim obtinuere Finnones, et jamnum Wenäiä appellatur: Concluditqve Tacitum illis auditis vocibus, latino ſermone atque terminatione *Fennos* expreſſiſſe.

Cum de origine nominis Finnici ago, nec planè omittendum exiſtimo ipſum nomen, qvo Finnones Finnicâ veniunt lingvâ. Appellatur autem

autem regio Suomi/ indeque incolæ Suomalaiſet audiunt. Harum vocum multi Finnicas ſolent producere radices, dicendo eas ſuum habere ortum *vel* â Suomu *ſqvamam* ſignificante, qvod ſqvamigerorum, heic non exigua copia capiatur piſcium, *vel* â Suo Maa *terra paluſtri*, paludibus qvia non paucis abundat. Qvas originationes etſi non improbo, interim adhuc una eſt, qvam cæteris præferendam arbitror. Eſt autem & illa Finnica, atque â (hywän) ſuominen accerſitur: Sunt namqve hic homines (quamvis nunc *res angusta domi* ipſos degenerare faciat) benevoli benigniqve, largientes ſæpius cule ſine precio, viatoribus ptæcipue aliisque qvos aſperam vident vivere vitam.

MEMBRUM POSTERIUS.

Convenientiam Lingv. Ebræa & finnicæ probans.

Qvemadmodum neceſſum non erat, ut in Confuſione lingvarum omnes voces mutarentur, ita multas voces diverſarum lingvarum inter ſe convenire clarum eſt. Probat id, ut alia omittam, lingva Finnica, qvæ Ebræam eximiâ attingit cognatione: ſicut enim in Lingv. Finnicâ qvædam voces ex

Græ-

Græcis generatæ videntur vocabulis. e. g. ποίμην Paſtor Paimen / ἔρημος defertum erima etc. perinde etiam dantur plurima ſive vocabula ſive argumenta, eaque non ſtraminea convenientiam Finnicæ cum Ebr. lingvâ probantia. Qvid enim? nonne ratam hanc reddunt convenientiam multæ voces Ebrææ Finnicis originem præbentes vocibus? nonne conjugationum ſignificationis qvoque convenientia idem plane facit? nonne plurima alia inſuper argumenta? ſanè qvi hæc probè perpendit, non poteſt, qvin proclamet prorſus inſignem harum convenientiam eſſe Lingvarum. Sed En! voces qvasdam convenientes.

אם mater emâ

זה pron. Demonſtrativum, iſte, Sc.

הביש hiph. â בוש pudefacere hâwâſtâ.

הולל inſanus hullu.

חזה vidit caʒo.

ילך ivit jalka pes.

Poſſent infinita ferè alia proferri, prolata etiam illa ego voluiſſem, niſi partim brevitate

tate temporis, partim facultatum angustiâ i-sto excluſus fuiſſem opere. Si ergo qvis utriusque peritior lingvæ catalogum omnium vocum conſtrueret, rem gratulatione faceret digniſſimam. Ego interim alias heic aperiam rationes, noſtram hanc ſententiam probaturas. Eſt verò & id egregium in lingvâ Finnicâ, qvod ſignificatio conjugationum cum Ebr. qvadrat. Etenim licet non audeam aſſerere omnes qvatuor Conjugationes Ebræorum á Finnonibus freqventari, vel ut dicam clarius, unam vocem poſſe flecti in omnibus 4 conjugationibus, eundemque habere ſignificatum; Id tamen tutò affirmo, in tribus prioribus Conjugationibus verbum finnicum flecti eadem cum verbo Ebræo ſignificatione. E. G. עָשָׂה fecit, finnicè in Kal dicitur *teki*: in Pihel *teeſkeli*/ i. e. fecitavit: in Hiphil *teetti*/ i. e. facere permiſit. *Ecce qvam amica hic eſt harmonia!*

Porro concinnum atque memoratu digniſſimum eſt illud argumentum, qvod ſubminiſtrat æqvalis Pronominum & affixorum conditio, cum in utraque lingvâ & ſeparabilia & inſeparabilia dentur pronomina: Qvorum aliqva qvemadmodum ſono convenire videntur, ita validiori ſtare talo hoc probè quis dixerit aſſertum. Atque ut hoc

ipſum

ipſum cuivis innoteſcat, ſiſtam heic Schemata in utraque lingvâ; & qvidem primò hoc ſchema pronominum ſeparabilium:

Sing.	*Plur.*
אני miná ego,	אנחנו me nos,
אתה—את ſiná tu,	אתם—ן te vos
הוא—היא hán ille-a	הם—ן he illi-æ,

Hinc vides, Lector Benigne, nonnulla & horum qvoqvo conſonare modo, ut præcipuè ſecund. & tert. perſ. plurales. Qvamvis a. nec pronominum omnium inſeparabiſium ſeu affixorum ſonus qvadret, ut tamen & Finnonibus ſua eſſe affixa, indeque fluens lingv. convenientia pateat, ſeqvetur jam Schema eorum tale:

Sing.	*Plur.*
ספרי kiriani liber meus	ספרינו kiriamme libri noſtri,
ספרך—ך kirias liber tuus.	ספריכם—ן kirianne libri veſtri
ספרו—ה kirians liber ejus.	ספריהם—ן (heidán) kirians libri eorum.

Superſedi heic adſcriptione affixorum, nominibus, qvæ vel ſingularis ſunt numeri (plures tamen perſonas denotantia) vel pluralis cum

cum unius perſonæ ſignificatu, addi in Ebræo ſolitorum, qvandoqvidem vidi illa ſuo modo cum his in ſchemate expreſſis coincidere, ſciens pronomen aliqvod ſeparabile vel aliqvam aliam particulam, diſtinctionis, qvæ hic forte deprehenditur, fungi vice.

In hoc jam propoſito Schemate poſteriori luculentam habes convenientiam Lingv. Ebrææ ac Finnicæ, ſiqvidem fini vocum utriusque lingvæ ſua vides adpoſita affixa, extra enim illa vox utraqve eſt: ספר & kirja. Præterea habes qvoque qvod mireris in perſona 1 ſingulari, ubi non ſimile tantum, ſed idem prorſus utraqve in lingvâ adhibetur affixum. Qvod qvemadmodum â pronomine ſeparato אנכי factum eſt, ita, qvoniam affixum id Ebraicè tantum י, finnicè verò ni ſonat, facilè qvemvis, propiorem affixi finnici cum primitivo convenientiam, perſpecturum confido.

Simili modo verbis qvoque Pronomina utraque in lingvâ ſuffigi ſolent. Sic E. G. אכלני ab אכל, *edere me*, finnicè vertitur & qvidem verbotenus, ſyödeſäni. אכלך qvod in c. 2. Gen. occurrit, edere te ſyödeſäs. אכלו edere eum, ſyödeſäns. In qvibus ſimilis poſitus affixorum, ſenſusque eſt idem. Imò ſi qvis accu-

ra-

ratiori penſitaverit lance, deprehenſurus erit, non in Ebræâ modò lingvâ poſt incrementû vocis finale mutari puncta, ſed & in finnicâ. Exemplum præbet vox præcedens, in qvâ inf. ſõ-dâ/ addito affixo, ä in e/ ob commodiorem pronunciationem mutat, qvod in aliis qvoqve vocibus obſervare licet.

Nec minimi ponderis ad probandam convenientiam eſt illa ratio, qvæ a ſimili depromitur poeſi. Non enim ſecus Poeta Ebræus ac etiam Finnicus Rhytmum ſeu ſonum in fine æqvalem obſervat. Ac licet Finnonibus antiqvitus non niſi unicum Carminis fuerit genus, illud tamen, qvia veram indicat convenientiam, non eſt dubium, qvin ſarta tectaqve hæc maneat ſententia, præcipue cum runæ iſtæ antiqvæ (ad imitationem enim runarum Sveo-Gothicarum runoi appellantur) eodem & fluant metro, & ratione ſyllabarum ſint Ogdoaſyllabæ, qvod genus Carminis a Poetis Ebræis freqventari vel ex Opitio conſtat. Exemplum qvidem Carminis Ebræi heic non adpono, qvippe cum aliunde id a qvovis haberi poſſit, Diſtichon ſaltem quoddam Finnicum, unde, qvod monſtratur, liqveat, adſcripturus:

Äina muita muiſtelemma/
Arwoſti ajattelemma/ etc.

i.e.

i. e. Semper aliorum recordamur
Futiliaque cogitamus.

Sunt duæ hæ lineæ initium Carminis cujusdam, qvo tota hiſtoria paſſionis Chriſti elegantiſſimè tractatur, autore neſcio quo; Ruſticum ſacrarum rerum peritum fuiſſe reor, Cujus ordinis non pauci artis iſtius ſunt callentiſſimi, imo, qvod magis mirandum, adeo expediti, ut ex tempore de qvacunque materia ſuas & formare & canere, ceu ipſis mos eſt, qveant runas: Quæ eo etiam nomine commendandæ veniunt, quod omnes fere voces cujusque verſus eadem inchoantur litera, velut ex hoc qvoque diſticho adnotato, præter Rhytmum, iſta peculiaris Poetiacæ finnicæ patet affectio.

Præter hæc, quæ jam dicta ſunt, videtur convenientia poſſe probari ex Idiotismis qvibusdam ſyntacticis. Qvemadmodum enim in ling. Ebræa, verbum, qvod ſingularem habet ſignificatum, nec honoris gratia in plurali numero uſurpatur, prout in aliis lingvis utpote ſvecica &c. fieri ſvevit, (quamvis ſæpe nomen plurale ob rei dignitatem verbo vel nomini ſingulari apud Ebræos jungatur) Ita Finnones, qui aliorum moribus non ſunt imbuti, licet & mutuo ſe proſequantur hono-

nore, non in plurali, ſed in ſingulari ſe invicem compellant numero. Quod vero plurimis in locis honoris & laudis cauſâ pluralis jam frequentetur numerus, dum revera ſingularis eſt ſignificatus, Id certe ab aliis nationibus huc ſe conferentibus traductum eſt.

Datur inſuper in Finnica perinde ac Ebræa lingva pleonaſmus quarundam vocum majorem ob Emphaſin. Sic Ebræi, utpote carentes gradu ſuperlativo, ut adjectivum aliqvod ſuperlativi habeat rationem, vel geminant poſitivum, vel addunt eidem vocem מאד. Finnonibus licet gradus ſuperlativus non deſit, interim non rarò aut iteratur poſitivus, ut hywän hywä i. e. optimus, vel augetur emphaſis adhibito vocabulo aiwan/ quod eadem gaudet ſignificatione qua Ebr. מאד, Fitque ſuperlativus ita: טוב מאד aiwan hywä valde bonus i. e. optimus.

Unicam adhuc addo rationem, quæ nec parum facit ad illuſtrandam hanc ſententiam. Cuivis vel aliqua ex parte cognitione Ebrææ lingvæ imbuto, notum eſt, nullam vocem apud eos a duabus incipere conſonis, qvemadmodum nec ulla illis litera ſine aliqva vocali, ſive ea ſit expreſſa, ſive ſubintellecta, exaratur. Eadem & Finnonibus ratione ra-

riſſi-

riſſima ac forte nulla ſunt vocabula â duplici incipientia conſonante, ceu a Schrodero etiam notatum eſt in Lexico quadrilingvi.

De vocibus autem illis, quæ Svecicæ videntur eſſe originis, ut Duomari ; a Domare/ id tenendum eſſe exiſtimo, ſc. eas qvidem antiqvitus Finnonibus non fuiſſe proprias, ſed hiſce demum temporibus finnica eſſe donatas civitate, qvibus Finnones cum Svecis ſub Uno Rege amicè vixerant, lingvamque Svecicam ſibi familiarem reddiderant, Qvod hic obiter notatum eſto.

Hæc & plura procul dubio alia, qvæ jam occurrere nequeunt, ſunt momentoſa maxime, maximamque lingvæ Finnicæ & nobilitatem & cum Ebræa convenientiam arguunt produntque: utrum verò non ideò peculiares ſint lingvæ, nulli ambigere neceſſum eſt, cum planum ſit, plura eſſe finnica vocabula, quæ aliunde derivari nequeunt, quam ea, quæ vel Ebræam vel Græcam, aliusve lingvæ originem ſapere videntur.

Lector qvi paucas baſce legis lineas, fac recorderis, nil & inchoatum & ſimul perfectum eſſe poſſe.

תי

COROLLARIA

I. *Syllogismus Triangulo eleganter comparatur.*

II. *Essentiæ rerum sunt æternæ.*

III. *Terra cum aqvâ constituit globum,*

IV. *Cujuscunqve qvadranguli qvatuor simul anguli efficiunt qvatvor rectas.*

V. *Principia prima practica omnibus sunt no.*

VI. *Ethicæ, Politicæ atque Oeconomicæ Objectum aliqvatenus idem est.*